

QUAESTIONUM THUCYDIDEARUM

PARTICULA TERTIA.

SCRIPSIT

F. H. KAEMPE.

PHIL. DR.

QUESTIOM THUCYDIDEARUM

PARTICULA TERTIA

SCHLISIT

F. H. KAMPE

PHIL. DR.

Thucydidis historia quum in paucis scriptorum vel Graecorum vel Latinorum libris nostra aetate virorum doctorum operam experta sit, tamen, qui paullo diligentius in pertractanda ea versatus fuerit, haud paucos in ea locos superesse facile concedet, qui etiam post Imm. Bekkeri, Popponis, Arnoldi, Bloomfieldii, Krügeri operam historicorum principi navatam vel interpretatione vel emendatione egeant. Quorum, hac opportunitate data, de uno et altero quid nos sentiamus, profitebimur, eandem disputandi rationem secuturi, quam pari oblata occasione jam semel atque iterum iniimus¹⁾.

I. Apud Thucydidem lib. VIII., cap. 45. genuina esse, quae cod. Ital. exhibet:

καὶ διδάσκαλος πάντων γιγνόμενος τὴν τε μισθοφορὰν ξυνέτεμεν, ἀντὶ δραχμῆς Ἀττικῆς ὥστε τριώβολον, καὶ τοῦτο μὴ ξυνεχῶς, δίδοσθαι, λέγειν κελεύων τὸν Τισσαφέρην πρὸς αὐτούς, ὡς Ἀθηναῖοι, ἐκ πλείονος χρόνου ἐπιστήμονες ὄντες τοῦ ναυτικοῦ, τριώβολον τοῖς ἑαυτῶν διδόασιν, οὐ τοσοῦτον πενία, ὅσον ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται ἐκ περιουσίας ὑβρίζοντες οἱ μὲν τὰ σώματα χεῖρῳ ἔχωσι, δαπανῶντες ἐς τοιαῦτα, ἀφ' ὧν ἡ ἀσθένεια ξυμβαίνει, οἱ δὲ τὰς ναῦς ἀπολείπωσιν ὑπολιπόντες ἐς ὁμηρεῖαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν.

Haud leviter hujusce loci interpretatio doctorum hominum exercuit ingenia, ut in quo nec libri mscr. inter se consentirent, nec satis constaret de sententia. Nam postquam in iis, quae antecedunt, expositum est, Agidis, Lacedaemoniorum regis, inimicitia exagitatum Alcibiadem a Lacedaemoniorum in Asia exercitu ad Tissaphernem, regis Persarum praefectum, transfugisse, neque quidquam apud hunc inexpertum omisisse, quin rebus Lacedaemoniorum quam maxime noceret: in iis, quae ad id ipsum consilium exsequendum tentaverit, primo loco ponitur, quod Tissapherni suaserit, ut persolvendum Peloponnesiis stipendium imminueret. Quo nomine quum is primo singulas drachmas Atticas se singulis militibus quotidie daturum promississet, et in unum mensem dedisset, deinde paullo plus certe, quam dimidiam drachmae partem sive triobolum, in reliquum tempus concessisset: tum quidem Alcibiades persuasit, ut pro eo, quod pollicitus esset, ternos obolos, neque eos constanter, numeraret, praetexta Atheniensium auctoritate, qui, rei navalis diutius, quam vel Peloponnesii vel Tissaphernes, periti, suis et ipsi ternos tantum obolos solverent, non tam inopia coacti, quam ne nautae, stipendii affluentia insolentiores redditi, corpora deteriora haberent, sumtus facientes in ea, unde imbecillitas oriretur.

1) Cf. Quaestiones Thucyd. in progr. gymnasii Neo-Ruppinensis 1843. — Quaestionum Thucyd. particula altera in progr. gymnas. Neo-Ruppin. 1851.

Hactenus quum certa sint omnia ac perspicua, in iis, quae proxime sequuntur, et libri inter se dissident, et de sententia dubitatur. Et vulgata quidem haec est:

οὐ τοσοῦτον πενία, ὅσον ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται ἐκ περιουσίας ὑβρίζοντες οἱ μὲν τὰ σώματα χεῖρῳ ἔχωσι, δαπανῶντες ἐς τοιαῦτα, ἀφ' ὧν ἡ ἀσθένεια ξυμβαίνει, οἱ δὲ τὰς ναῦς ἀπολιπόντες ἐς ὁμηρείαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν.

Quam verborum seriem quum sensu carere appareat, Stephanus, Benedictus, Herbst. de reditu Alcib. p. 31, vulgatae lectioni mutata verborum interpunctione medendum rati, deletis virgulis, quae vulgo post οἱ δὲ et ἀπολιπόντες collocantur, post ναῦς virgulam poni jusserunt, ut hic verborum ordo existeret:

ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται ἐκ περιουσίας ὑβρίζοντες οἱ μὲν τὰ σώματα χεῖρῳ ἔχωσι, δαπανῶντες ἐς τοιαῦτα, ἀφ' ὧν ἡ ἀσθένεια ξυμβαίνει, οἱ δὲ τὰς ναῦς, ἀπολιπόντες ἐς ὁμηρείαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν,

ad οἱ δὲ τὰς ναῦς repeti jubentes ex iis, quae praecedunt, χεῖρους ἔχωσι, ut haec esset universi loci sententia: Jussum esse ab Alcibiade Tissaphernem dicere Peloponnesiis; Athenienses, rei navalis jam dudum peritos, et ipsos ternos obolos suis numerare, non tam propter inopiam, quam ne nautae, stipendii affluentia insolentiores redditi, partim corpora deteriora haberent, sumtus facientes in ea, unde imbecillitas oriretur, partim naves (deteriores haberent), relicta pignoris loco stipendii parte debita.

At merito Poppo hanc verborum vel interpunctionem vel interpretationem duabus de caussis improbat. Primum enim de nautis, quorum pars sunt οἱ δὲ, naves suas deserentibus non scribendum fuisse docet: ne naves deteriores haberent, sed: ne deteriores redderent. Deinde, hoc ipsum si intelligi voluisset scriptor, utique debuisset eum dicere: ne „discedendo“ deteriores naves redderent, qua ommissa discedendi notione nec, quo modo illi naves deteriores fecerint, nec quid significant illa: ἀπολιπόντες ἐς ὁμηρείαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν, appareat. Nam deserendo naves, non stipendii sui partem relinquendo, detrimentum classi nautae inferunt. Accedit, quod verborum ἀπολείπειν τὸν μισθόν ne posse quidem ea esse significatio videtur, quae, si Stephani rationem secutus fueris, requiritur; ἀπολείπειν enim vere Poppo monet esse verlassen, non zurücklassen, quae notio potius in verbo ὑπολείπειν insit.

Itaque ommissa hac verborum interpunctionum atque interpretandorum ratione, videamus, dissidentes a vulgata lectione libri mscr. ad loci interpretationem quid adjumenti praebeant. Quorum in Vaticano scriptum est:

ἀπολείπωσιν οὐχ ὑπολιπόντες,

quod idem et in schol. Cassel. est, nisi quod ibi ἀπολίπωσιν pro ἀπολείπωσιν scriptum esse dicitur, et in Vallae libro videtur fuisse, utpote qui ita interpretetur: partim classem deserendo, dum partem stipendii sibi debitam non relinquerent obsidem sui. Codex Venet. habet

ἀπολείπωσιν ὑπολιπόντες,

Ital. in margine:

ἀπολείπωσιν ὑπολιπόντες.

Libri Clarendoniani prima scriptura, Arnolde teste, haec fuit: τὰς ναῦς ἀπολιπόντες τὸν προσοφειλόμενον μισθόν. Deinde corrector, ἀπολιπόντες in ἀπολείπωσιν mutato, voces ὑπολείποντες ἐς ὁμηρείαν in margine adscripsit. Idem tamen, ut videtur, infra ad calcem paginae subjecit: γρ. οὐχ

ὑπολείποντες. Liber Lugdunensis in verborum serie solum *ἀπολείποντες* habet, ad marginem ante hoc *ἀπολείπωσι μὴ*, idemque *μὴ* in libro mscr. Mus. Brit. extat.

Apparet igitur, omnes, qui a vulgata lectione discedant, libros in eo consentire, quod verbum finitum inserunt, dissentire maxime in eo, quod ea, quam subjiciunt, sententia, participio expressa, in aliis negationem adjunctam habet, in aliis omissam. Quae quum ita sint, quum vulgata lectio sensu careat, ut in qua verbum finitum desideretur, quod ad efficiendam idoneam verborum sententiam necessario requiritur, accommodatissimum vero sit ad eam rem, quod libri a vulgata lectione discrepantes praebent, verbum *ἀπολείπωσι*: vix potest esse dubium, quin horum librorum auctoritati parendum sit. Quod quum manifestum videatur, jam in eo rei cardo vertitur, ut disceptetur, utrum in ea, quae subjecta est, sententia probanda sit an improbanda negatio participio addita: id quod ponderata universi loci vi dijudicandum erit, quum contrarium adjuncta negatione verborum sensum effici appareat, atque omitta.

Quodsi cum libro Vaticano, schol. Cassel., Valla, quos ex recentioribus praeter Bekkerum et Krügerum et novissimum historiae Thucydideae editorem, cujus liber apud Engelmannum prodiit, Poppo et Goeller secuti sunt, hi tamen uncis inclusa negatione, *οὐχ ὑπολείποντες* scripseris, ea oritur loci interpretatio, quam his verbis expressit Goeller: neve pars naves deserant, debita adhuc parte stipendii non in pignus relicta. Quam sententiam Poppo ea de causa improbat, quod, si scriptor dicere voluisset: nisi reliquissent, i. e. *ohne zurückzulassen*, *μὴ ὑπολείποντες* scribendum fuerit, quod ipsum *μὴ*, in libro Mus. Brit. et ad marginem cod. Lugd. scriptum, Westermannus in censura libri Goelleriani recipi jubet. Sed recte Bloomfieldius *μὴ* illud librario alicui deberi monet, qui, *οὐχ* a Graeci sermonis usu abhorreere existimans, in *μὴ* mutaverit. Goelleri vero interpretatio merito a Poppo reprehenditur, si eam, quam Poppo expressit, sententiam verbis *οὐχ ὑπολείποντες* inesse ille voluit. Possis tamen etiam aliter interpretari participium, modo ne ita jungas cum sententia primaria, ut, quod in hac inest consilium, idem etiam ad sententiam participio expressam pertineat. Etenim quum primaria sententia, his verbis expressa: *ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται τὰς ναῦς ἀπολείπωσι*, ternorum obolorum mercede danda id Athenienses consilii secuti esse dicantur, ne nautae classem desererent: si participium *ὑπολείποντες* cum verbo *ἀπολείπωσι* ita junxeris, ut, quae primariae sententiae inest prohibitiva vis, eadem ad secundariam pertineat, apertum est, participio, si negationem adjunctam habeat, *μὴ* addendum fuisse, non *οὐ*. Sed poteris etiam minus arcte cum verbo finito copulare participium, eo ut non prohibitiva primariae sententiae vis continuetur, sed causa adjungatur, cur classem nautae deseruerint, vel ex Atheniensium vel ex nautarum mente prolata. De qua duplici participii verbo finito adjungendi ratione, de hoc ipso, de quo nos agimus, Thucydidis loco disserens, subtiliter, ut solet, disputavit Haasius Lucubr. Thucyd. p. 11 sq., quamquam paullo diverso a nobis consilio. Atque haec sententia in Aem. Porti interpretatione Latina ab Haasio emendata — ipsam Porti interpretationem inspicere non licuit — his verbis expressa est: partim vero naves desererent, qui non relinquerent stipendii partem pignoris loco adhuc debitam. Quae ratio si probanda est, non *μὴ*, sed *οὐχ* requiritur, quum, si verbum finitum pro participio substitueris, scribendum sit: *ἐπεὶ οὐχ ὑπέλιπον*, i. e. *weil sie nicht zurückgelassen hätten*.

At sive *οὐχ ὑπολείποντες*, sive omitta negatione solum *ὑπολείποντες* scribendum censueris, quaeritur, qui sit *ὁ προσοφειλόμενος μισθός*, quem nautae pro pignore aut reliquerint, aut non reli-

querint. Et προσοφείλειν quidem multis exemplis demonstratur significare: debere aliquid praeter ea, quae jam numeraveris, noch dazu schuldig sein, ὁ προσοφειλόμενος μισθός ut sit stipendium residuum, i. e. stipendii pars nondum persoluta, der noch rückständige Sold²⁾. Quod quidem stipendii residuum undecunque ortum existimaveris, de qua re postea videndum erit: si οὐχ ὑπολιπόντες scripseris, probata ea, quam supra demonstravimus, caussali participii vi, Athenienses, quum nautis suis ea de caussa ternorum tantum obolorum mercedem numerasse perhibeantur, ne naves desererent, ut qui non pignoris loco stipendium residuum reliquissent, existimasse dicuntur, facilius exigui, quam ampli, stipendii partem nondum persolutam a nautis pro pignore relinqui posse, id quod sane ineptum est, quum apertum sit, facilius, qui tantum mercedis accipiant, ut vel detracta aliqua ejus parte vitam sustentare queant, partem aliquam pignoris loco posse relinquere, quam qui tantum, vix ut ad necessarios vitae usus sufficiat.

Cui difficultati ut occurreret, Westermannus, quem supra vidimus ex libro mscr. Mus. Brit. et margine Lugd. μὴ ὑπολιπόντες recipi jubere, in editionis Goellerianae censura ob superiora καὶ τοῦτο μὴ ξυνεχῶς ante διδῶσαι mente repetendum censet: καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς, ad haec verba ut referatur illud οἱ δὲ τὰς ναῦς ἀπολείπωσι, μὴ ὑπολιπόντες ἐς ὀμηρείαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν. Et assensus est Westermannus in verborum illorum repetitione Poppo in editione altera, eademque fere Haasii Lucubr. Thucyd. p. II. sententia est. Qua comprobata, ut in altera consilii praefecto Persico dati parte, qua imminuere eum stipendium Peloponnesiis persolvendum jubet, Atheniensium auctoritate utitur Alcibiades, quippe qui et ipsi ternos tantum obolos numerare suis soleant, ita altera quoque pars, ut ne terni quidem illi oboli constanter solvantur, ad Atheniensium exemplum refertur, quorum duplex dicitur fuisse institutum, ab Alcibiade commendatum, alterum, ut ternorum tantum obolorum stipendium nautis solverent, ne ii, ampliore mercede insolentiores reddit, corpora deteriora haberent, sumtus facientes in eas res, unde imbecillitas oriretur, alterum, ut ne ternos quidem illos obolos constanter numerarent, sed retinerent semper aliquam mercedis nautis debitae partem, quod esset quasi fidei eorum pignus, ne naves desererent. Et fuisse hunc Atheniensium morem, ut retinerent partem quandam stipendii vel militibus vel nautis debiti, quo pignore quasi devincerent fidem hominum, Iphicratis apud Polyaeum³⁾ exemplo ad nostrum locum demonstrare conatur Bloomfieldius, addens, in Britannorum classibus omni tempore idem fuisse institutum, eandemque Romanorum fuisse consuetudinem, id quod ad Polyaeum l. d. doceat Casaubonus. Et de Romanorum more Poppo jam Acacium Vegetii locum de R. M. lib. 2, cap. 20 adscripsisse monuit.

Quodsi Westermannus assentimur, ante διδῶσαι cogitari jubenti καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς, verborum ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται ἐκ περιουσίας ὑβρίζοντες τὰς ναῦς ἀπολείπωσι, οὐχ ὑπολιπόντες ἐς ὀμηρείαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν, quae, si ad illud Atheniensium institutum rettuleris, ut terno-

2) Cf. Thucyd. 7, 48, 5: τὰ τε Σαρακισίων ἔφη ὁμοῦς εἶναι ἥσσω τῶν σφετέρων εἶναι· καὶ χρήμασι γὰρ αὐτοὺς ξυνοτροφούντας — τὰ μὲν ἀπορεῖν, τὰ δ' εἶναι ἀμνησθήσειν· δις χιλιά τε γὰρ τάλαντα ἤδη ἀναλωθέναι καὶ εἶναι πολλὰ προσοφείλειν. Polyb. 1, 66, 5: οἱ δὲ Καρχηδόνιοι, τὰ μὲν οὐκ εὐποροῦμενοι χρημάτων διὰ τὰς προγεγενημένας δαπάνας, τὰ δὲ καὶ πεπεισμένοι παραστήσονται τοὺς μισθοφόρους μέρος τι τῶν προσοφειλόμενων ὀψωνίων, ἂν καὶ συναθροίσωσι καὶ δέξονται πάντας εἰς τὴν Καρχηδόνα, παρακατεῖχον ἐκεῖ τοὺς καταπλέοντας διὰ ταύτην τὴν ἐλπίδα. Polyb. 8, 25, 4: ὁ δὲ βασιλεὺς τούτων μὲν οὐδενὶ προσέειπε, μεταπεμψάμενος δὲ τὸν νεαρίσκον διελύσατο τὴν ἐχθρὰν, ἀφῆκε δὲ τὰ πλείστα τῶν χρημάτων, ἃ συνέβαινε τὸν πατέρα προσοφείλειν αὐτῷ τῶν φόρων. Herodot. 6, 59: ἐν δ' αὖ Πέρσῃσι ὁ κατιστάμενος βασιλεὺς τὸν προσοφειλόμενον φόρον μετὶ πάσῃ τῇσι πόλει.

3) Polyae. strateg. 3, 9, 51: Ἰφικράτης ἤρξε τοῦ πλείστου στρατεύματος πεζοῦ καὶ ναυτικοῦ, ἐν τῇ δόσει τοῦ μισθοῦ καθ' ἕκαστον μῆνα ὑφαίρων τὸ τέταρτον μέρος, ὥσπερ ἐνέχυρον ἑκάστου κατέχων, ἵνα μὴ λήποιεν τὸ στρατόπειδον. Οὕτως ἄρα καὶ πολλοὺς εἶχεν αἰεὶ τοὺς στρατευομένους καὶ εὐτόρους, τὸ τέταρτον τοῦ μισθοῦ φυλαττόμενον ἔχοντας.

rum tantum obolorum mercedem suis solverent, inepta esse supra vidimus, quum jam ad alterum hunc morem referantur, quo ne hanc quidem mercedem constanter persolvisse, sed semper aliquam ejus partem retinuisse dicuntur, idonea evadit sententia, modo participii *ὄχ ὑπολιπόντες* caussalem esse vim memineris. Sic enim hoc dicit Alcibiades: *Ἀθηναῖοι τριώβολον τοῖς ἑαυτῶν διδόασιν, ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται ἐκ περιουσίας ὑβρίζοντες τὰ σώματα χεῖρω ἔχωσι, δαπανῶντες ἐς τοιαῦτα, ἀφ' ὧν ἡ ἀσθένεια ξυμβαίνει, καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς, ἵνα μὴ τὰς ναῦς ἀπολείπωσιν, ὄχ ὑπολιπόντες ἐς ὁμηρεῖαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν*, i. e. Athenienses ternos obolos suis numerant, ne nautae, abundantia insolentiores reddit, corpora deteriora habeant, sumtus facientes in ea, unde oritur imbecillitas, ac ne hos quidem constanter persolvunt, sed semper partem aliquam stipendii nautis debiti retinent, illi ne naves deserant, ut qui non pignoris loco stipendii partem nondum persolutam reliquerint. In qua quidem sententia nihil est, quod improbes. Dicuntur enim Atheniensium nautae, nisi semper aliqua pars stipendii debiti retineatur, classem deserturi, quod, nisi retenta fuerit illa mercedis pars, non reliquerint fidei suae pignus. Quod ipsum ne fieret, institutum esse morem illum retinendi aliquam stipendii partem.

Neque vero, relata verborum *ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται τὰς ναῦς ἀπολείπωσιν* — *μισθόν* complexione ad cogitandum illud *καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς*, minus apta nascitur sententia, ante *ὑπολιπόντες* si omiseris negationem cum libro Venet., marg. Ital., corr. Clarend., quos Bloomfieldius, Haackius, Didotus, Arnoldus secuti sunt, probante Goellero et Haasio Lucubr. Thucyd. p. 9 sq. Poppo rem in medio reliquit. Sic enim hoc dicit Alcibiades: ne ternorum quidem obolorum mercedem constanter suis numerasse Athenienses, sed semper aliquam ejus partem retinuisse, ne nautae classem desererent, ut qui stipendium residuum pignoris loco reliquissent. Nam recte Haasius Lucubr. Thucyd. l. d. verborum *ὑπολιπόντες μισθόν*, una cum ea, ad quam proxime pertinent, sententia *ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται* — *ἀπολείπωσιν* ad repetendum illud ex superioribus *καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς* relatorum, eandem posse vim atque ad primariam sententiam relationem esse docuit, quam nos supra verborum *ὄχ ὑπολιπόντες* — *μισθόν* esse monuimus, participium *ὑπολιπόντες* ut non ita cum verbo *ἀπολείπωσι* conjunctum esset, ut, quod consilium primaria sententia exprimeretur, idem etiam ad participium pertineret, sed magis per se positum afferret caussam, cum nautae naves non desererent, in metu positam, ne desertis navibus stipendium pro pignore relictum amitterent.

Probata igitur Westermanni, quam diximus, ratione, aequae bona nascitur sententia, sive inserueris ante *ὑπολιπόντες* negationem, sive omiseris. Qua addita, participio affertur caussa, cur nautae Atheniensium, nisi mos retinendi semper aliquam stipendii partem institutus esset, deserturi fuerint naves, omissa, cur, instituto eo more, jam non deserant. Addita negatione, si ad simplicissimam rationem revocaveris sententiam, hoc dicit Alcibiades: *Ἀθηναίων οἱ ναῦται τὰς ναῦς ἀπολείπουσιν, ὄχ ὑπολιπόντες ἐς ὁμηρεῖαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν*, i. e. Atheniensium nautae naves deserunt, quod non reliquerunt pro reditus sui pignore stipendium residuum, omissa: *Ἀθηναίων οἱ ναῦται τὰς ναῦς ὄχ ἀπολείπουσιν, ὑπολιπόντες ἐς ὁμηρεῖαν τὸν προσοφειλόμενον μισθόν*, i. e. Atheniensium nautae naves non deserunt, quod reliquerunt cet.

Quid? quod probata hac ratione verba *ἵνα αὐτῶν μὴ οἱ ναῦται τὰς ναῦς ἀπολείπωσιν* — *μισθόν* ad cogitandum illud *καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς* referendi, vel si cum cod. Mus. Brit., marg. Lugd., Westermanno *μὴ ὑπολιπόντες* scripseris, idonea nascitur sententia, quum jam hoc dicat Alcibiades, instituisse illum morem Athenienses, ut prohiberent, ne nautae naves desererent, si non stipendii

sibi debiti partem pignoris loco reliquissent. Quae quidem sententia, si majore librorum mscr. auctoritate niteretur, minime esset improbanda. Quum vero admodum exigua sit librorum, in quibus *μη ὑπολιπόντες* scriptum est, auctoritas, ommissa jam hac scriptura a Westermanno commendata, redeamus eo, unde profecti sumus, ut disceptemus, utrum *ὑπολιπόντες*, an *οὐχ ὑπολιπόντες* scribendum sit. Ad quam rem dijudicandum, si Westermannum sequimur, ante *διδόασι* mente repeti jubentem *καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς*, quum in sententiae, quae diversa scriptura efficitur, diversitate nihil adjumenti sit, ad solam librorum alterutram lectionem commendantium auctoritatem remittimur. Quae quum in postremis maxime historiae Thucydideae libris tanta sit in Vaticano, quanta in alio nullo, equidem, si vera existimanda esset Westermanni sententia, non dubitarem, quin cum Vat. et schol. Cassel. *οὐχ ὑπολιπόντες* scribendum censerem.

At minime equidem verum vidisse Westermannum judico. Nam magnae sane Thucydidem negligentiae arguat, qui id ipsum, quod ad universi loci perspicuitatem deesse nullo modo potest, omisisse eum statuât, quumque apertissime Alcibiades Athenienses ternos suis obolos numerasse scribat, verba ejus ita interpretetur, ut non persolutos esse ternos obolos intelligat, sed semper aliquam eorum partem retentam. Quam negligentiam num sit probabile Thucydidem in se admisisse, ex suo quisque animi sensu judicabit; equidem persuaderi mihi non patiar, ut ad eorum sententiam accedam, quibus ista interpretandi ratio placuit: praesertim quum, accuratius perpensa re, ne repetito quidem mente ante *διδόασι*, quod repeti Westermannus jubet, efficiatur id, quod effici ille voluit.

Cujus sententia ut aliquam certe habeat veri speciem, verborum *οὐ ξυνεχῶς διδόναι τοῖς ναύταις τὸν μισθόν* non alia potest esse vis, quam ut hoc dicatur fuisse Atheniensium institutum, ut continuae ex stipendii nautis debiti summa detractiones (*regelmäßige Soldabzüge*) fierent, quae pecunia pro fidei classiariorum pignore ab imperatoribus asservaretur, confecta demum militia persolvenda. Et Bloomfieldium quidem, quamquam is de verbis *καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς* animo repetendis non cogitat, in hac esse sententia apertum est, ut qui non solum Iphicratis exemplum, quem Polyaeus scribit in numerando stipendio de summa mercedis singulis mensibus quartam partem detraxisse et tamquam pignus fidei militum, ne desererent exercitum, asservasse, verum etiam Britannorum, qui nunc est, morem cum Atheniensium isto instituto conferat. Neque dubium est, quin idem Poppo sentiat, quamquam is minus explicate dicit. Haasii fluctuat sententia, ut qui alio loco non *ξυνεχῶς* numeratum esse militibus ternorum obolorum stipendium, sed identidem servatum et aliquando pro pignore retentum scribat, alio Bloomfieldii probet sententiam.

Sed vereor, ut demonstrari possit, belli Peloponnesiaci aetate moris fuisse apud Athenienses, ut non solidum vel militibus vel nautis suis numerarent stipendium, sed ex debita mercedis summa continuas detractiones facerent, ut esset, quo illorum fides devinciretur. Nam certe neque Britannorum nostra aetate instituto, quod Bloomfieldius commemorat, nec Romanorum consuetudine, cujus testes sunt Vegetius et Casaubonus l. d., Atheniensium fuisse morem illum comprobaveris. Iphicratis vero exemplo, quod Polyaeus memoriae prodidit, vereor, ne contrarium demonstretur, ac demonstrari volunt. Etenim quum inter Iphicratis strategemata referatur, quod quartam stipendii cum militibus nautisque pacti partem pro pignore retinere consueverit, ne exercitum desererent, nonne ex hoc ipso, quod id institutum tamquam Iphicratis consilium prudentiae imperatoriae plenissimum laudibus effertur, primum Iphicratem id excogitasse, non a majoribus accepisse sequitur? Et magis necessaria temporibusque convenientior Iphicratis aetate, qua sola fere mercenariorum ope bella Athenienses gerere

solebant, ratio ista militum fidem retinendi fuerit, quam belli Peloponnesiaci temporibus, quibus maxima ex parte cives ipsi militiae munus sustinebant⁴⁾. Accedit, quod ne apud Romanos quidem moris fuisse traditur, ut stipendii militibus debiti pars retineretur, sed donativi⁵⁾, quod et diversum est a stipendio, et imperatorum demum aetate dari coeptum⁶⁾, quum non jam cives, sed manus conductitiae stipendia mererent. Neque Britannorum foret ista consuetudo, nisi vi nautas conquirere consuessent.

Quid? quod continuae istae deductiones ex stipendii summa fieri solitae *μισθοῦ οὐ ξυνεχῶς διδομένου* nomine ne significari quidem possunt. Namque quum *ξυνεχῶς* fieri dicatur, quod continenter ac sine intermissione fit, dummodo singulis mensibus — his enim spatiis in Atheniensium exercitibus solutiones fieri solebant⁷⁾ — statutis diebus stipendium militibus numeraretur, etiamsi non plena persolveretur pactae mercedis summa (*ὁ μισθὸς ἐντελής*), sed reponeretur semper aliquid, *ξυνεχῶς* numerabatur stipendium. Quod ii demum *οὐ ξυνεχῶς* dare dici poterant, qui non justis legitimisque pensionibus solverent militibus, sed qualibet de caussa aliquando statutis diebus solutiones intermitterent. Et hoc modo Tissaphernem, *τὸν μισθὸν οὐ ξυνεχῶς δίδοντα*, sociorum exercitum vexasse apertum est, non deductionibus continuis ad devinciendam militum fidem ex stipendii summa factis, quae, si fierent, ipsorum certe ducibus, non regis Persarum praefecto, faciendae erant. Nam totum sese Alcibiadi committens *κακῶς* Peloponnesiis stipendium numerasse dicitur⁸⁾, quae criminatio magis certe in eum cadit, qui non statutis temporibus numerat, quam qui receptum morem institutumque sequens de summa mercedis semper partem aliquam detrahit, quae militibus asservetur. Et Peloponnesii, de Tissaphernis perfidia querentes, *μισθὸν οὐ ξυνεχῶς διδομένον* et *μισθὸν οὐκ ἐντελῆ* aperte inter se opponunt, neque integrum unquam stipendium, h. e. drachmam Atticam, quam ille sese singulis militibus quotidie daturum promiserat, ab eo accepisse milites, et, quod daretur, exiguum esse, et ne hoc quidem continenter persolvi vociferantes⁹⁾. At hac ratione Tissaphernes, qui sociorum, quos metueret, vires fractas resque eversas vellet, id quod nulla re certius fieri intelligebat, quam stipendio militibus non statis temporibus numerato, cum Peloponnesiorum exercitu agere potuit, non Athenienses cum suis civibus, vexationem istam neutiquam aequo animo laturis.

4) Boeckh Staatsh. der Ath. I, p. 375 sq.

5) Cf. Veget. de R. M. 2, 20: illud vero ab antiquis divinitus institutum est, ut ex donativo, quod milites consequuntur, dimidia pars sequestraretur apud signa et ibidem ipsis militibus servaretur, ne per luxum aut inanium rerum comparisonem a contubernaliis posset absumi. — Quo loco nemo in errorem se induci patietur, quod Vegetius ab antiquis illud divinitus institutum esse scribit, quum ipsa donativi commemoratio satis demonstret, quae intelligenda sit antiquitas. Neque vero majoris ad comprobandum id, quod comprobari volunt, momenti est, quod Casaubonns, ad quem Bloomfieldius nos remittit, ad Polyeni, quem diximus, locum adscripsit, utpote qui et ipse non de stipendio militum Romanorum, sed de donativo loquatur, neque alios habeat auctores, quam Vegetium l. d., Suetonium in Domitiano, quo loco nec discimus, quod ad rem nostram faciat, nec nisi de imperatorum aetate agitur. Casauboni vero haec verba sunt: *τὸ τέταρτον μέρος ὥσπερ ἐνέχυρον ἐκάστου κατέχων*] hoc Iphicrateum consilium Romani probarunt eoque usi sunt. Mos enim fuit apud Romanos, ut milites ad signa donativi partem deponerent sequestrarentque. Auctores Suetonius in Domitiano et Flavius Veget. lib. sec. cap. XX.

6) Zeiss: röm. Alterthumskunde p. 615.

7) Boeckh Staatsh. der Ath. I, p. 380.

8) Thuc. 8, 46, 5: *τῷ γὰρ Ἀλκιβιάδῃ διὰ ταῦτα, ὡς εὖ περὶ τούτων παρανοοῦντι, προσθεῖς ἑαυτὸν ἐς πλῆθος τῇ τε τροφῇ κακῶς ἐπόριζε τοῖς Πελοποννησίοις κτλ.*

9) Thuc. 8, 83, 3: *καὶ ξυνιστάμενοι κατ' ἀλλήλους οἵαπερ καὶ πρότερον οἱ στρατιῶται ἀνελογίζοντο, — ὡς οὔτε μισθὸν ἐντελῆ πώποτε λαβεῖν, τό τε διδομένον βραχὺ, καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς. Cf. 8, 78: ὑπὸ δὲ τὸν χρόνον τούτον καὶ οἱ ἐν τῇ Μιλήτῳ τῶν Πελοποννησίων ἐν τῷ ναυτικῷ στρατιῶται κατὰ σφᾶς αὐτοὺς διεβίων, — τροφὴν ὅτι οὐ ξυνεχῶς οὐδ' ἐντελῆ δίδουσι κακοὶ τὸ ναυτικόν.*

Itaque quum neque sit probabile, omisisse Thucydidem, quae ad sententiae perspicuitatem vel maxime essent necessaria, nec, si quis tantae cum negligentiae arguere non dubitaverit, aut verbis καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς, quae, qui istius sententiae patroni extiterunt, ad διδόναι ex superioribus repetita cogitari jubent, continuae ex stipendii summa deductiones significari possint, quas intelligi illi volunt, aut, ut possint, veri simile sit, fieri eas belli Peloponnesiaci aetate in Atheniensium vel classibus vel exercitibus esse solitas, quae vero una verborum οὐ ξυνεχῶς διδόναι τὸν μισθὸν potest esse vis, iis ut significetur, stipendium militibus non continenter ac sine intermissione statutis diebus numeratum esse, minime in Atheniensium tum temporis rei publicae statum quadret, ut quorum cives, qui stipendia faciebant, contumeliam istam non fuissent perlaturi: non potest esse dubium, quin Westermanni sententia, ante διδόναι verba καὶ οὐδὲ τοῦτο ξυνεχῶς mente repetenda censentis, repudianda sit.

Qua sprete fieri non potest, quin utrumque membrum per οἱ μὲν — οἱ δὲ copulatum ad institutum illud Atheniensium ternorum tantum obolorum mercedem suis numerandi referatur, illique duplici hunc morem consilio instituisse dicantur, ne nautae, stipendii affluentia insolentiores redditi, corpora deteriora haberent, neve naves desererent. Quae si universi loci est sententia, participium ὑπολιπόντες alteri membro adjectum non posse cum libro Vaticano, schol. Cassel., Valla negationem additam habere, supra demonstravimus, ne inepte Athenienses existimasse dicantur, facilius exigui, quam ampli stipendii partem a nautis pro fidei pignore relinqui posse.

Itaque nos cum margine libri Ital., quocum in omittenda negatione codex Venet. et margo libri Clarend. consentiunt, οἱ δὲ τὰς ναῦς ἀπολείπωσιν, ὑπολιπόντες ἐς ὀμηρείαν τὸν προσοφειλόμενον μισθὸν scribendum censemus, quod idem Bloomfieldius, Arnoldus, Didotus, Haackius, Haasius faciendum statuunt. Dicuntur igitur Athenienses suis ternorum obolorum stipendium numerasse, ne nautae, mercedis affluentia insolentiores redditi, partim corpora deteriora haberent, sumtus facientes in ea, unde imbecillitas oriretur, partim naves desererent, stipendii parte nondum persoluta pro pignore relicta. In quorum verborum interpretatione primum quaeritur, qui intelligendus sit ὁ προσοφειλόμενος μισθός, nondum persoluta stipendii pars, quum de retenta semper aliqua ab Atheniensium ducibus mercedis vel militibus vel nautis debitae parte non cogitandum esse viderimus. Sed quum ex instituto Atheniensium singulis mensibus stipendium solveretur, ὁ προσοφειλόμενος μισθός videtur intelligenda ea stipendii pars, quae, si qui non eo ipso die, quo stipendium persolutum esset, a classe discessissent, inde ab eo die, quo proxime merces numerata esset, iis deberetur.

Quod si verum est, Alcibiades Athenienses modicum suis stipendium solvisse dicit, ne nautae, opum abundantia affluentes, naves desererent, pro nihilo aestimata paucorum dierum mercede, cujus, si a classe discessissent, jacturam sibi faciendam intelligerent. Etenim apertum est, aequiore animo modicam pecuniam amittere, qui in omnium rerum abundantia vivat, quam qui tantum habeat, vix ut ad necessarios vitae usus sufficiat. — Qua ratione quum plana foret et perspicua universi loci sententia, si simpliciter scriptum esset ὑπολιπόντες τὸν προσοφειλόμενον μισθὸν, difficultas quaedam oritur, verbis ἐς ὀμηρείαν additis. Sed recte ad explicanda ea verba Bloomfieldius monuit, videri nonnuncquam nautis Atheniensium ad privata quaevis negotia obeunda (cf. Thuc. 7, 13) a navibus discedendi veniam a ducibus suis datam esse, hi quod stipendii partem nondum persolutam pignus quoddam redditus nautarum existimarent.

Itaque, ut complectamur omnia, ternorum tantum obolorum stipendio dando hoc Athenienses consilium secuti esse dicuntur, ne nautae, stipendii affluentia insolentiores reddit, partim corpora deteriora haberent, sumtus facientes in ea, unde imbecillitas oriretur, partim naves desererent, relictis stipendii parte nondum persoluta, ut quam pecuniam, ducibus in dandis com meatibus satis firmum reditus militum pignus visam, ipsi opum abundantia luxuriantes tam parvi aestimarent, jacturam ejus ut nihil curarent.

Superest, ut rationem reddamus, cur cum margine cod. Ital. *ὑπολιπόντες*, quam cum codice Venet. et margine cod. Clarend. *ὑπολείποντες*, scribi malimus. Nam sola librorum auctoritate hoc quidem loco res discerni vix potest, sententia vero aequae bonae existit, sive *ὑπολιπόντες*, sive *ὑπολείποντες* scripseris. Sed cum margine codicis Ital. liber Vatican. et schol. Cassel. consentiunt, et facilius, si *ὑπολιπόντες*, quam si *ὑπολείποντες*, Thucydidem scripsisse statuas, intelligitur, quomodo vulgata lectio οἱ δὲ τὰς ναῦς ἀπολιπόντες ἐς ὁμηρείαν τὸν προσοφειλόμενον μισθὸν oriri potuerit, librario oculis ab ἀπο-λείπωσι ad ὑπο-λιπόντες aberrante. Quibus de causis non dubium videtur, quin participium aoristi temporis *ὑπολιπόντες* praesenti *ὑπολείποντες* praeferendum sit.

II. Lib. VIII., cap. 87. nihil mutandum esse in his, quae in plerisque libris scripta sunt:

ἐμοὶ μέντοι δοκεῖ σαφέστατον εἶναι τριβῆς ἕνεκα καὶ ἀναγκῆς τῶν Ἑλληνικῶν τὸ ναυτικὸν οὐκ ἀγαγεῖν, φθορὰς μὲν, ἐν ᾧ παρῆι ἐκείσε καὶ διέμελλον, ἀνισώσεως δέ, ὅπως μηδετέρους προσθέμενος ἰσχυροτέρους ποιήσῃ· ἐπεὶ, εἴγε ἐβουλήθη, διαπολεμῆσαι ἐπιφανῆς δῆπον οὐκ ἐνδοιαστῶς· κομίσας γὰρ ἂν Λακεδαιμονίοις τὴν νίκην κατὰ τὸ εἶδος ἔδωκεν, οἳ γε καὶ ἐν τῷ παρόντι ἀντιπάλῳς μᾶλλον ἢ ὑποδεεστέρωι τῷ ναυτικῷ ἀνθώρουν.

Tissaphernes quum Peloponnesiis, in Asia cum Atheniensibus bellum gerentibus, cum aliis de causis, tum propter reditum Alcibiadis suspectus esset, ne Atheniensium rebus faveret, cupiens, ut videbatur, criminationes istas diluere, ad naves Phoenicias Aspendum profectus est, quae erat urbs Pamphyliae. Sed quamvis centum quadraginta septem Phoenicum naves Aspendum usque pervenisse constaret, Tissaphernes non adducta ea classe rediit. Itaque quum apertum esset adducere eum noluisse, variae erant hominum conjecturae, cur Aspendum ivisset. Thucydides tamen sibi quidem non dubium videri profitetur, quin eo consilio naves non adduxerit, ut Aspendum proficiscendo cunctandoque Graecorum res attereret ac suspensas teneret interque se exaequaret, ne alteros suis adjunctis opibus potentiores redderet. Nam εἴγε ἐβουλήθη, inquit, διαπολεμῆσαι ἐπιφανῆς δῆπον οὐκ ἐνδοιαστῶς.

Haec verba libri mscr. uno fere consensu exhibent. Nam quod pro ἐνδοιαστῶς in nonnullis ἐγγναστῶς legitur, id aperte mendum est, quodque pro ἐπιφανῆς in aliis περιφανῆς, in aliis περὶ ἐπιφανῆς scribitur, exigui est momenti, quum recte Poppo moneat, περιφανῆς videri explicationem esse vulgatae ἐπιφανῆς, ἐπιφανῆς quum raro (ut I, 21.) idem significet, quod σαφής, plerumque sit conspicuus aut illustris, qui libri vero περὶ ἐπιφανῆς exhibeant, in iis περὶ ex altera scriptura περιφανῆς remansisse. At vehementer vulgatae explicatio sollicitavit interpretes, qui diverso singuli fere modo locum aut interpretandum aut emendandum censuerunt. Nam Reiskius et Heilmannus,

virgula, quae vulgo post διαπολεμῆσαι ponitur, post ἐβουλήθη transposita, ut nos supra transposuimus, διαπολεμῆσαι in διαπολεμήσαι mutari volunt, quo facto Heilmannus verba ita interpretatur: nam, si modo voluisset, debellaturus erat, ut facile omnibus perspicitur, successu minime dubio; ad quam sententiam efficiendam apertum est διεπολέμησεν ἂν scribendum fuisse. Reiskio praeterea ἐπιφανείς placuit pro ἐπιφανές, eo sensu, quem his verbis expressit Goeller: nam confecisset bellum sine controversia et indubia victoria, si voluisset conficere, sese tantummodo monstrans et in hostium conspectum prodiens. Sed merito Poppo hanc Reiskii conjecturam inutilem dicit. Probata tamen ea Krüger, retento simul διαπολεμῆσαι, quod Reiskius in διαπολεμήσαι mutari voluerat, virgulaque post διαπολεμῆσαι posita, in iis, quae sequuntur, γάρ delendum censet, ut a κοίτας apodosis incipiat. At neque mutationis huius audacia placet, nec, quomodo apodosis a κοίτας ordiri possit, intelligitur, cujus initium, si quid video, certe ab ἐπιφανείς faciendum erat, quamquam vel sic neque δήπου commodam ad ἐπιφανείς relationem habere videtur neque οὐκ ἐνδοιαστῶς, quod merito Arnoldus monuit ad διαπολεμῆσαι potius pertinere. Haackius, retenta et ipse virgula post διαπολεμῆσαι, ad οὐκ ἐνδοιαστῶς subaudit διαπολεμῆσαι ἐν αὐτόν, hunc constituens verborum ordinem: ἐπεὶ ἐπιφανές δήπου, εἴγε ἐβουλήθη διαπολεμῆσαι, οὐκ ἐνδοιαστῶς (αὐτόν διαπολεμῆσαι ἂν). Qua ratione Portus quoque verba intellexit, ita interpretatus: nam si bellum conficere voluisset, profecto manifestum est, ipsum id sine dubio conficere potuisse. Goellero structura ἀπὸ κοινοῦ esse videtur, ita supplenda: ἐπεὶ, εἴγε ἐβουλήθη διαπολεμῆσαι, ἐπιφανές δήπου οὐκ ἐνδοιαστῶς διεπολέμησεν ἂν. Similis est Porponis in prima editione sententia, qui, post δήπου quoque commate posito, verba ἐπιφανές δήπου, sicut alibi δῆλον ὅτι, οἶμαι, ἐμοὶ γε δοκεῖ, ὁμνυμι, εὖ ἴσθι (ὅτι), similia, extra structuram posita arbitratur, ad οὐκ ἐνδοιαστῶς et ipse διεπολέμησεν ἂν mente repetens. In altera tamen editione, ommissa, uti videtur, ea interpretatione, rem in medio relinquit. Ac merito jam Heilmannus ejusmodi ellipses hoc quidem loco, quo minime concitatam habes orationem, inauditas dixerat minimeque probandas.

Aliam rationem Dobraeus iniit, qui, ad διαπολεμῆσαι ex conjectura addita particula ἂν, ad ἐπιφανές suppleto ἐστίν, locum sic constituit: ἐπεὶ, εἴγε ἐβουλήθη, διαπολεμῆσαι ἂν ἐπιφανές, interpretatus: nam eum, si voluisset, bello finem impositurum fuisse citra dubium est. Dobraeo Arnoldus assentitur, itemque, uti videtur, Bloomfieldius in editione Thucydidis, ut in qua, de suo nihil addens, Dobraei interpretationem adscripserit, quamquam in contextu quidem verborum nec ἂν addidit, et orationem sic interpunxit: ἐπεὶ εἴγε ἐβουλήθη διαπολεμῆσαι, ἐπιφανές δήπου οὐκ ἐνδοιαστῶς. In interpretatione vero Anglica haec dedit: *since, had he indeed meant to bring the war to a conclusion, it is plain that he could have put the matter beyond all doubt*, unde, quae ipsius sit sententia, non satis apparet. Novissimus Thucydidis editor, cujus liber prostat apud Engelmann, locum haud dubie corruptum dicit.

Nos nec corruptum locum existimamus, nec in quo quidquam mutandum sit, nisi quod cum aliis virgulam, quae vulgo post διαπολεμῆσαι ponitur, post ἐβουλήθη transponimus. Quo facto, ad ἐπιφανές δήπου suppleto ἐστίν, hic universi loci sensus oritur: nam, si voluisset, manifestum profecto est, eum bellum haud dubie confecturum fuisse, quem eundem fere sensum Dobraeus expressit, sed addita particula ἂν, qua nihil opus est. Nam infinitivo ἂν ibi adjici constat, ubi, si infinitivum in verbum finitum mutaveris, aut indicativo aut optativo addita particula ἂν utendum sit; cf. Matth. gr. Gramm. §. 598, 1. Krüger griech. Sprachl. §. 54, 6, 6. Ubi vero indicativus

vel optativus *ἄν* non additum habent, ibi ne infinitivo quidem adjicitur. Jam si nostro loco infinitivum *διαπολεμῆσαι* in verbum finitum mutaveris, usitatissima quidem sermonis forma ea est, qua indicativo particula *ἄν* additur, hoc modo: *ἐπιφανὲς δὴπου ἐστίν, ὅτι διεπολέμησεν ἄν οὐκ ἐνδοιαστῶς*. Sed possis tamen etiam omittere. Nam constat, in sentiis conditionalibus, ubi ex universa sermonis continuatione rem aliquam non factam esse appareat, ad augendam orationis vim et gravitatem nonnunquam in enuntiatione primaria indicativis temporum historicorum *ἄν*, quod vulgo additur, non adjici, sed, quod proprie dicendum erat ea conditione eventurum fuisse, si quid aliud evenisset, id nulla conditionis ratione habita ita enunciari, quasi vere factum esset. Et sic nos interdum: wenn er gewollt hätte, so machte er dem Kriege unzweifelhaft ein Ende; similiterque Latini loquuntur¹⁰⁾. Quodsi nostro loco, verbo finito usus pro infinitivo, scripseris: *ἐπεὶ, εἴγε ἐβουλήθη, ἐπιφανὲς δὴπου* (subaudito *ἐστίν*), *ὅτι διεπολέμησεν οὐκ ἐνδοιαστῶς*, verbo finito in infinitivum mutato habes, quod libri praebent: *ἐπεὶ, εἴγε ἐβουλήθη, διαπολεμῆσαι ἐπιφανὲς δὴπου οὐκ ἐνδοιαστῶς*, quamquam fatendum est, paullo obscurius locutum esse Thucydidem, hac sermonis forma usum. Et nescio an nobiscum in istorum verborum explicatione consentiant vel Abreschius, vel Beckius. Nam ipsum quidem Abreschii librum inspicere non contigit; sed refert eum Beckius distinxisse: *ἐπεὶ, εἴ γε ἐβουλήθη, διαπολεμῆσαι ἐπιφανὲς δὴπου οὐκ ἐνδοιαστῶς*, addens: h. e. *ἐπεὶ δὴπου ἐπιφανὲς ἐστίν οὐκ ἐνδοιαστῶς διαπολεμῆσαι ἄν αὐτόν, εἴ γε ἐβουλήθη*; unde non satis liquet, quae vel Abreschii vel Beckii fuerit sententia. Nec magis, qua ratione Bredovius verba explicari velit, intelligitur, qui *διαπολεμῆσαι* grammatice ad *ἐβουλήθη* referri, ad *ἐπιφανὲς* vero subaudiri jubet.

III. Lib. VIII., cap. 105. in hisce verbis:

ἀμῦναι δὲ τῷ μέσῳ οὐθ' οἱ περὶ τὸν Θρασύβουλον ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ ὑπὸ πλήθους τῶν ἐπικειμένων νεῶν ἐδύναντο, οὐθ' οἱ περὶ τὸν Θράσυλον ἀπὸ τοῦ ἐωνύμου· ἀφανὲς τε γὰρ ἦν διὰ τὴν ἄκραν τὸ Κυνὸς σῆμα, καὶ ἅμα οἱ Συρακόσιοι καὶ οἱ ἄλλοι οὐκ ἐλάσσους ἐπιτεταγμένοι εἶργον αὐτούς, πρὶν οἱ Πελοποννήσιοι διὰ τὸ κρατήσαντες ἀδεῶς ἄλλοι ἄλλην ναῦν διώκοντες (vulgo: διώκειν) ἥρξαντο μέρει τινὶ σφῶν ἀτακτότεροι γενέσθαι.

mutata verborum interpunctione vera scriptoris sententia restituitur.

In proelio navali ad Cynossema commisso initio quidem Peloponnesii, impetu facto in mediam Atheniensium aciem, inferiorem navium numero eandemque distractis navibus instructam, adversarios in siccum compulerunt, proelioque superiores in terram eos persecuti sunt. Auxiliari vero suis laborantibus neque dextrum cornu, cui Thrasybulus praeerat, propter navium hostilium, quae instarent, multitudinem poterat, neque Thrasybulus cum sinistro, utpote qui propter promontorium Cynossema non cernerent, quid apud illos gereretur, simulque hostium oppositorum numero prohiberentur. Postremo tamen, quum Peloponnesii in media acie collocati, elati victoria alii aliam navem secure insequentes, parte quadam classis suae ordines solvere coepissent: Athenienses, qui in dextro cornu essent, cognita ea re, impetu facto oppositas sibi naves in fugam dederunt¹¹⁾, deinde cum media quoque Pelopon-

10) Cf. Rost gr. Gr. §. 120, Anm. 2. Krüger gr. Sprachl. §. 53, 10, 5; et de Romanorum usu Zumpt lat. Gr. §. 519.

11) Secuti sumus in his verbis vel interpungendis vel interpretandis Dobraeum, Haackium, Arnoldum, alios.

nesiorum acie, quae victoriam jam reportasset, suscepta pugna, maximam disjectarum navium hostilium partem facili negotio fugarunt. Et forte Syracusani quoque, in dextro Peloponnesiorum cornu collocati, Atheniensium navibus cesserant et in fugam se conjecerant, quum ceteros fugientes vidissent.

Hunc rerum in proelio ad Cynossema gestarum ordinem fuisse manifestum est. Sed turbant eum prava verborum interpunctione pleraeque omnes, quas inspeximus, Thucydidis editiones. Fere omnes enim aut post *εἰωνύμου* puncto, post *εἶργον αὐτούς* colo, quod vocatur, aut colo post *εἰωνύμου*, post *εἶργον αὐτούς* virgula interpungunt, quo facto haec oritur verborum sententia, ut Syracusani reliquique, sinistro cornu Atheniensium oppositi, hosce prohibuisse dicantur, quominus mediae suorum aciei auxilio venirent, dum Peloponnesii in media acie collocati quadam navium suarum parte ordines solvere coepissent. Verum haec si esset orationis sententiaeque series, sequeretur, solutis mediae Peloponnesiorum aciei ordinibus, sinistrum Atheniensium cornu mediae suorum aciei auxilium tulisse. At non sinistrum cornu, sed dextrum, auxilium tulit: itaque apparet, huc referenda esse verba *πρὶν οἱ Πελοποννήσιοι* — *ἤρξαντο μέρει τινὶ σφῶν ἀτακτότεροι γενέσθαι*. Referuntur autem eo, si verba *ἀφανές τε γὰρ* — *εἶργον αὐτούς* statuerimus *διὰ μέσου* esse posita, ut post *εἰωνύμου* verbis *πρὶν οἱ Πελοποννήσιοι* continuetur oratio, id quod efficitur, si et post *εἰωνύμου* et post *εἶργον αὐτούς* colo interpunxeris. Eamque interpungendi rationem Bloomfieldius secutus est, sed nihil monito lectore, cur ita scripsisset, itemque in prima editione Poppo: in altera tamen ad deteriore inter-punctionem rediit.